

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Miseria k cum fonte primo

Homo natus de muliere breui  
uiuens tempore  
et cetera.

In sordibus generamur, in tenebris  
confouemur, in doloribus parturimur.  
Ante exitum miseras oneramus matres,  
in exitu more uipereo laceramus;  
mirum quod non ipsi laceramur.  
Primam uocem ploramus, edimus,  
merito quidem ut pote uallem plorationis  
ingressi ut nobis illud sancti Iob ex  
omni parte possit aptari.



Multis repletur miseriis;  
multis et multiplicibus, inquam,  
miseriis corporis, miseris cordis,  
miseriis dum dormit, miseris dum  
uigilat, miseris quaquaversum se uertat.

Bernardus in sermone.

In sordibus generamur, in tenebris  
confovemur, in doloribus parturimur.  
Ante exitum miseras oneramus matres,  
in exitu more vipereo laceramus:  
mirum quod non ipsi pariter laceramur.  
Primam vocem plorationis edimus,  
merito quidem, utpote vallem plorationis  
ingressi, ut nobis illud sancti Iob ex  
omni parte possit aptari:

HOMO NATUS DE MULIERE, BREVI  
VIVENS TEMPORE,  
REPLETUR MULTIS MISERIIS (Iob 14:1).  
Quam verum hoc sit non verba nos  
docuere, sed verbera! HOMO, inquit,  
NATUS DE MULIERE: nihil abiectius. Et ne  
forte ex ipsa sibi voluptate corporeorum  
sensuum, quam de sensibilibus hauriat,  
blandiatur, in ipso statim introitu de  
exitu quoque terribiliter admonetur, cum  
dicitur: BREVI VIVENS TEMPORE. Ac ne  
spatiolum illud, quod inter ingressum et  
egressum relinquitur, sibi liberum putet,  
REPLETUR, ait, MULTIS MISERIIS.  
Multis et multiplicibus, inquam,  
miseriis corporis, miseris cordis:  
miseris cum dormit, miseris dum  
vigilat, miseris quaquaversum se vertat.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermo in*  
*feria IV hebdomadae sanctae*, 6 (SBO 5,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais  
eds., p.60, ll.14-27).